

nibus. Unde, et Apocalyp. ii dicitur: *Dabo illi calculum candidum* (donum clarum, seu candorem intellectus,) *et in calculo nomen novum quod nemo scit nisi qui accipit.*

Ad id quod dicitur de ordine quo fiunt istæ missiones, cum primum donum sit amor, seu Spiritus sanctus, dico quod ex parte dantis primum donum quo inclinatur quis ad dandum, est ipse amor, sed ex parte effectus dati; primum quod infunditur recipienti, non est amor, sed notitia qua cognoscat ut amet. Ille enim ad quem mittitur donum amoris, non potest in amorem induci, nisi incipiat a notitia. Missio autem, et ordo ejus magis attenditur secundum connotationem effectuum, quam secundum dantis inclinationem. Quæ est solutio S. Thomæ in I, distinctione xv citata, qu. iv, art. ii ad ii.

VIII. Dico tertio: Missio invisibilis simpliciter, et absolute non attenditur, nisi secundum dona gratiæ gratum facientis, licet secundum quid, et imperfecte etiam in non habentibus gratiam possit missio invisibilis attendi.

Prima pars docetur clare a D. Thoma in hac quæstione, art. iii, ubi inquit: « An missio invisibilis fiat solum secundum donum gratiæ gratum facientis. » Et resolvit quod sic et idem habet in I, dist. xiv, qu. ii, art. i. Unde superfluit ejus verba adducere si specialem de hoc movet quæstionem, et pro hac parte resolvit. Et est communis sententia inter theologos, et videri possunt commentatores D. Thomæ super articulum tertium hujus quæstionis ibi, Bagnez, Zumel, Nazarius, Torres, Molina, Vasquez, Suarez lib. xii de Trinitate, c. v, collegium Carmelitanum tract. vi de Trinitate, disp. xix, dub. iv.

Fundamentum sumitur tum ex Scriptura, et patribus, tum ex ratio-

ne D. Thomæ supposito quod missio, ut dictum est, importat exitum seu processionem Personæ ad existendum, vel manendum in creatura alio modo quo antea non erat: missio enim ad aliquem terminum de novo est, ubi ante non erat, vel non eo modo erat ille qui mittitur. Deus autem cum ubique sit per suam immensitatem, non potest mitti ad locum, ubi ante non erat, sed in omni loco existens, mitti dicitur ad novo modo existendum, quo ante non erat in creatura: missio enim ad creaturam est, quia ad extra se est, ad intra enim non indiget mitti, cum semper in se maneat. Hoc supposito, constat ex Scriptura quod ubi non est gratia, et sanctitas, Deus non dicitur esse, sed abesse, quia quantumcumque alia dona etiam supernaturalia in homine sint, quamdiu non est gratia sanctificans, Deus est aversus, et longe ab homine: ergo non ad eum missus, nec in eo habitans. Minor probatur: nam ut dicitur Proverb. xv: *Longe est ab impiis Dominus*: et Psal. cxviii: *Longe a peccatoribus salus*: Sapient. i: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: et iterum ibi: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Certum est ergo quod ubi non est gratia sanctificans, Deus non est speciali modo existens sed quasi elongatur, et abest non communicans illi animæ seipsum: ergo neque mittitur Persona divina ad existendum per specialem communicationem: nam non potest esse, quod fugiat ab aliquo, seu recedat, aut elongetur habendo illum pro termino a quo secundum specialem modum, et tamen mittatur, et accedat ad illum ut ad terminum ad quem, scilicet manendo ibi, et communicando se ibi speciali modo. Et contra vero, quando quis est amicus Dei, et in ejus gratia per charitatem, et ve-

rum amorem, Deus manet, et inhabitat ibi tamquam cum amico, speciali modo ei communicans, et conveniens illi; nam dicitur Joan. xiv: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: et I Joan. iv: *Qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo*: et Roman. v: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Unde Augustinus xv de Trinitate, c. xviii, inquit, quod: « Dantur alia munera per Spiritum sanctum, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, non transfertur ad dexteram, neque Spiritus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem. » Ex quibus auctoritatibus constat, quod nec sine gratia Personæ mittuntur ad inhabitandum in anima, neque posita gratia stat non mitti Personas, et inhabitare: solum ergo per gratiam sanctificantem ista missio invisibilis fit.

IX. Secundo, probatur eadem pars ratione D. Thomæ in hac quæstione, art. iii, quia Personæ divinæ dicuntur mitti ad creaturas secundum specialem modum, quo sunt in eis, præter communem modum, quo sunt in omnibus per immensitatem suam, qui modus existendi fundatur in operatione, et efficientia, qua Deus immediate dat omnibus esse, et vitam, et inspirationem, et omnia: *Quia in ipso vivimus, et movemur, et sumus*, ut dicitur Actorum xvii, et nos late probavimus præcedenti tomo, disp. viii. Præter hunc autem modum communem quo Deus existit in omnibus, datur specialem modum quo existit in creatura habitando in ea tamquam in templo juxta illud I ad Corinth. iii: *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus sanctus habitat in vobis*, quatenus

videlicet Deus intus in corde colitur, et adoratur tamquam ultimus finis per cognitionem, et amorem, seu fide, et operibus, sine quibus Deus interius non colitur; et rursus homo conjungitur Deo, ut fini fruendo a se, et accipit potestatem ut libere fruatur divina Persona: *Dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Ergo iste est specialis modus quo Deus est in creatura rationali sicut inhabitans in templo ubi colitur, et sicut manens in creatura, et communicans se illi ut fruendus. Hoc autem non habetur nisi per gratiam sanctificantem, quia solum per illam homo conjungitur Deo, ut fini fruendo; et sic habet Deum inhabitantem in se ut finis cui conjungitur, et quem colit tamquam fruendus ab eo: solum enim qui natus est ex Deo hanc habet potestatem: ergo solum per hunc modum intelligitur Persona mitti ad existendum in creatura: per hunc enim modum non solum creatura exit a Deo effective, et habet esse ab ipso, sed etiam convertitur ad Deum ut ad finem fruendum a se.

X. Secunda pars conclusionis, scilicet quod secundum quid mittitur aut datur Spiritus sanctus per alia dona supernaturalia, quæ non sunt gratia sanctificans sumitur ex D. Thoma in hac quæstione, art. iii ad ii et iii, ubi fatetur quod: « Filius licet cognosci possit a nobis per aliquos effectus, ut per fidem, vel scientiam, non tamen per istos effectus nos inhabitat, vel habetur a nobis. » Et cum dicat Augustinus quod tunc Filius mittitur, cum ex tempore mente percipitur, manifestum est quod si percipitur aliquo modo mittitur. Unde addit D. Thomas ibi ad tertium, quod si gratia

miraculorum daretur sine gratia sanctificante, non diceretur dari simpliciter Spiritus sanctus nisi forte cum aliqua determinatione. Datur ergo secundum quid Spiritus sanctus, licet non simpliciter et sine gratia, nec principaliter, ut dicit etiam in I, dist. XIV, qu. II, art. II ad primum.

Et ratio est, quia licet per fidem, et illuminationes, et alia auxilia supernaturalia nondum dicatur Deus esse in nobis, ut inhabitans, et ut dans potestatem fruendi ipso: hæc enim potestas solum datur his qui ita credunt, quod etiam ex Deo nati sunt, est tamen ut movens, et disponens ad hanc sanctificationem, et inhabitationem: ergo est jam ipsa sanctificatio ut in fieri, et initiative: ergo et inhabitatio, et missio Personarum, quæ tunc mittuntur quando sanctificamur: ergo tunc dicentur mitti inchoative, et in fieri, seu secundum quid, quando incipit nos movere, et disponere ad hanc inhabitationem. Unde sequitur quod cum per naturales effectus, et beneficia prout sunt pure ordinis naturæ non moveamur, nec disponamur ad gratiam, etiam remote, tamquam dispositione ejusdem ordinis, manifestum est quod per ea etiam inchoative non dicuntur mitti Personæ.

XI. Dico quarto: Non solum quando primo sanctificatur homo, sed etiam postquam sanctificatus est, quoties de novo proficit homo in aliquo novo statu, seu augmento gratiæ, sive extensivo, sive intensivo, fit nova missio Personarum ad animam, seu creaturam intellectualem. Ita sumitur ex D. Thoma in hac quæstione, art. VI ad III et IV. Et in hac conclusione duo sunt certa.

Primum est, missionem fieri etiam postquam quis sanctificatus est, superveniente novo effectu, qua-

tenus novo modo advenire dicuntur Personæ, et mitti. Constat hoc, nam B. Virgo sancta, et sanctissima erat, et gratia plena quando concepit Dei Filium, et tamen dixit illi Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te*; superventio autem Spiritus sancti sine missione ejus non est. Et Apostoli mundi erant, et in gratia in nocte cœnæ, et tamen dicebat illis Christus, quod: *Mitteret ad eos Spiritum veritatis Paraclitum, qui doceret eos omnem veritatem*, Joan. XV et XVI, et de facto sit fuit missus in die pentecostes, Actorum II: ergo datur nova missio, etiam post primam sanctificationem.

Secundum est, quod ad missionem invisibilem Personarum, non solum requiritur sanctificatio creaturæ rationalis, ratione cujus Persona missa existat, et inhabitet in creatura ut colenda, et fruenda ab ipsa, sed etiam requiritur innovatio quædam seu novitas existendi, eo quod missio semper est ad hoc ut missus vel sit, ubi antea non fuerat, si per talem missionem moveatur, ut res creatæ, vel si non moveatur ille qui mittitur, quia ubique est, saltem moveatur, seu immutetur de novo ille ad quem mittitur; et sic novo modo incipiat esse in eo ad quem mittitur, saltem per mutationem termini ad quem, si non per mutationem ipsius missi. Et hoc commune est etiam missioni visibili; sicut in incarnatione non fuit missus Filius per mutationem sui, sed per mutationem creaturæ ad quam missus est. Et ita ad missionem, aliqua innovatio, seu novitas in modo existendi requiritur, ut bene S. Thomas advertit in hac quæstione, art. VI. Si enim nulla novitas est, sed supponitur Persona illic esse, et supponitur eodem modo esse, sicut antea, non potest intelligi quod mittatur: ad id enim quod jam habetur, et tali modo ha-

betur, ita ut nihil restet de novo, quomodo missio intelligi potest? Cum missio in rebus creatis sit motus ipsius missi ad aliquem terminum; motus autem essentialiter tendit ad terminum non habitum de facto, sed ad quem est in via, et in quo nondum quiescit; in rebus autem divinis missio fit per motum non ipsiusmet missi, sed ejus ad quem est missio, ut ratione hujus novitatis dicatur novo modo esse is qui mittitur in tali re.

XII. Difficultas esse potest, quando, aut quomodo intelligatur in creatura talis novus modus proficiendi in ipsa sanctificatione, sive intensive, sive extensive, quod ratione illius Persona de novo detur, et mittatur. Dicimus ergo cum D. Thoma articulo sexto citato ad secundum, quod in hac vita fit missio invisibilis, etiam secundum profectum virtutis aut augmentum gratiæ. Dicit enim Augustinus IV de Trinitate, cap. XX, quod: « Tunc cuiquam mittitur Filius, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur quantum cognosci, et percipi potest pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deum. » Ubi indifferenter, et absolute loquitur D. Thomas et D. Augustinus de quocumque profectu, et augmento gratiæ, tam intensivo, quam extensivo. Subdit autem sanctus doctor: « Secundum illud augmentum gratiæ præcipue missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum vel novum statum gratiæ, ut puta cum proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc quod ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur. » Ita D. Thomas ubi secundum hæc dicit præcipue attendi missionem invisibilem, infinuans ex hoc quod

etiam secundum minutiora augmenta attenditur missio, sed non ita præcipue.

Ratio autem est, quia ex Scriptura constat mitti de novo Spiritum sanctum ad eos qui jam sanctificati supponuntur: ergo fit missio ratione novi augmenti, quod vel esse potest intensivum, ut cum in eadem gratia fit aliquis perfectior et radicalior, vel extensivum, ut cum ad novum aliquod munus, vel statum, aut gratiam gratis datam assumitur, ut cum accipit prophetiam aut donum miraculorum, supponendo quod est in gratia. Eadem autem ratio currit de quocumque augmento gratiæ, quia ibi concurrunt omnes conditiones ad missionem requisitæ. Nam supponitur hominem esse in gratia, et accipit augmentum in ea, ratione cujus ipsa Persona novo et perfectiori modo se tradit fruendam, et sui perceptionem atque copiam facit majorem, suique amorem ferventius excitat: ergo novo modo se manifestat, aut communicat, vel transfert in animam: ergo mittitur, quia ad missionem sufficit quod aliqua Persona detur ab alia secundum novum modum existendi et comunicandi se creaturæ, quod totum invenitur ubicumque novo augmento gratiæ proficit anima. Præsertim vero cum excellentioribus actibus Deo appropinquat, et ex donis Spiritus sancti operatur præsertim actus illos præstantiores donorum, qui vocantur beatitudines, ut cum omnibus renuntiat, religiosusque efficitur, cum opera perfectionis facit, quibus aureolam specialem meretur, et similia, quibus familiarius Deo inhæret.

XIII. Cæterum quod attinet ad beatos, in quibus est gratia consummata, et perfecta, multo minus dubitari potest quod fiat ad eos missio invisibilis, tum in initio, beatitudinis

ubi perfectissimo et consummato modo Deus unitur mentibus beatorum, eisque se manifestant Personæ; tum post beatitudinem adeptam penes varia charismata, et dona gratiæ, quibus non jam intensive crescere potest, sed quoad aliquam extensionem. Sumitur hæc resolutio ex D. Thoma citato articulo sexto ad tertium, ubi inquit: «Ad beatos facta est missio invisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum intensionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo, quod est usque ad diem iudicii; quod quidem argumentum attenditur secundum intensionem gratiæ ad plura se extendentis.» Ratio autem hujus est, quia in beatitudinis principio novo modo incipit Deus esse intra beatos, scilicet per unionem essentiali suæ in ratione speciei intelligibilis et manifestationem suæ divinitatis, qua tunc fruitur beatus: ergo concurrunt omnia quæ requiruntur ad missionem Personarum, si quidem Personæ novo modo manifestantur et communicantur creaturæ secundum sanctificationem ejus, et conversionem creaturæ ad Deum ut ad ultimum finem, quo fruitur tunc actualiter. Postmodum vero in progressu beatitudinis, accipit beatus aliquas novas revelationes extra Verbum, juxta dispensationem divinæ largitatis, et munificentiæ, in quibus etiam communicatur Deus novo modo secundum manifestationem aliquorum effectuum, quæ ad ipsum statum beatitudinis ordinantur, vel juxta illum debent cognosci a beato. Unde si mitti dicitur Persona divina, quando fit nova manifestatio veritatis pertinentis ad statum, et ordinem gratiæ, Spiritus sanctus missus est ad Apostolos, ut doceret eos omnem veritatem ut dicitur Joannis

xv et xvi, et similiter i Joan. ii dicitur: *Unctio docet vos de omnibus*, et ipse Filius dicit: *Se venisse in mundum ut testimonium perhibeat veritati*, Joan. xviii, et ad prophetas frequenter dicitur factum esse verbum Domini, factam esse manum Domini, etc. Si hoc ergo sufficit ut dicatur mitti Persona divina ad animam, quando sic proficit in agnitionem veritatis, supponendo gratiam sanctificantem in subjecto, quanto magis cum in statu beatitudinis, ubi est consummata gratia sanctitatis, plenissimæ et clarissimæ revelationes etiam extra Verbum fiunt, dicentur mitti de novo Personæ quæ talibus revelationibus manifestant ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, et docent tunc consummate omnem veritatem?

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Primo, arguitur contra ea quæ dicta sunt de missione visibili. Nam per missionem visibilem per se loquendo, in quantum visibilis non fit manifestatio divinæ Personæ neque conversio creaturæ rationalis in Deum ut in finem ultimum, sed si id habetur, est permissionem invisibilem gratiæ, quæ illi adjungitur: ergo per se, et ex propriis missio visibilis non est proprie missio. Consequentia probatur ex supra dictis a nobis ex D. Thoma in i, dist. xv, quæst. iv, art. i, quod missio attenditur in creatura rationali, non secundum processum creaturæ a Deo in genere causæ efficientis quoad est, sed secundum conversionem et regressum creaturæ rationalis in Deum ut in finem: si ergo hoc esset commune omni missioni, oportet quod inveniat in missione visibili, ut talis est, et ita si per se non invenitur, per se missio non est. Antecedens vero probatur,

quia bene potest fieri incarnatio sine manifestatione Personæ, ut si nemini Deus talem incarnationem revelet, et manifestet etiam ipsi animæ assumptæ: tunc enim mittitur Persona ad incarnandum, et non ad se manifestandum. Similiter potest fieri incarnatio sine ullo dono gratiæ collato naturæ assumptæ, ut si assumeret naturam irrationalem, aut etiam naturam rationalem sine donis gratiæ potest assumere, nec talem incarnationem ordinare ad hoc ut creaturæ rationales sanctificentur seu redimantur: ergo non est necesse quod missio fiat secundum sanctificationem, et conversionem hominis, in Deum.

XV. Confirmatur, quia ad eucharistiam facta consecratione fit missio Personæ Filii, si quidem ibi existit de novo corpus Christi ex vi conversionis, et Persona divina per concomitantiam: et tamen illa missio nec est visibilis, quia ibi Christus non ponitur visibiliter, sed modo invisibili; nec est invisibilis, quia non est secundum infusionem gratiæ in anima, quia ibi non est anima, sed solum substantia panis, quæ convertitur in corpus Christi, et accidentia ejus, quæ remanent. Et in sacramentis dicit D. Thomas non esse gratiam ut in subjecto, sed ut in instrumento: missio autem non fit nisi respectu termini in quo est gratia; unde ad sacramenta non fit missio Personæ divinæ, ut docet S. Thomas in hac quæstione, art. vi ad iv, sed eucharistia est sacramentum: ergo ad illam non fit missio gratiæ quæ est missio invisibilis.

XVI. Confirmatur secundo, quia missio Spiritus sancti etiam est visibilis, ut patet in die pentecostes cum apparuit in igneis linguis, et super Christum, cum apparuit in specie columbæ: sed in talibus creaturis non est facta aliqua manifes-

tatio vel peculiaris modus existendi ipsius Personæ: ergo id non requiritur ad missionem, vel illa non fuit vera missio Personæ. Minor probatur; nam in ipsis creaturis non fuit gratia sanctificans, quia erant creaturæ irrationales, nec erant capaces gratiæ: quod autem per eas significaretur gratia sanctificans, quæ daretur hominibus, non sufficit ad missionem visibilem: nam etiam hoc modo est gratia in sacramentis ut in signis practicis gratiæ, nec tamen ad sacramenta fit missio, ut jam diximus ex D. Thoma. Nec etiam fuit in prædictis creaturis unio aliqua, et communicatio Personæ divinæ, quia non assumuntur ad unitatem Personæ divinæ. Quod vero Deus sit in illis ut signum in suo signato, non petit missionem ipsiusmet Personæ realiter loquendo, quia signatum in signo non est realiter, sed intentionaliter et repræsentative, non fit autem realis missio si solum est repræsentativa, quia in repræsentatione non requiritur quod sit præsens persona repræsentata; præsertim si illæ creaturæ in quibus apparuit Spiritus sanctus non fuerunt veræ, sed imaginariæ.

Respondetur ad principale argumentum, quod missio visibilis etiam de se ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis, et manifestationem Personæ divinæ, licet per accidens possit actualiter non manifestare se ex parte intellectus creati: sufficit ad missionem quod ponat effectum de se manifestativum: hoc autem incarnatio habet, quod de se est manifestativa Personæ incarnatæ, et non deitatis solum ut una est. Similiter de se ordinatur ad sanctificandum creaturam, si sit capax sanctificationis, tum sanctificando naturam assumptam, etiam si omni dono accidentali careat per ipsam substantialem sanctitatem

Personæ; tum in alios derivando dona gratiæ tamquam auctor sanctificationis, et plenus gratia. Si autem uniret sibi Persona divina naturam irrationalem et incapacem gratiæ, esset quidem ibi Persona illa novo modo in ratione suppositi, sed non in ratione Personæ, quia non mitteretur ad existendum et communicandum se illi, ut Persona et secundum dignitatem Personæ, sed Præcise ut suppositum, et ut supplens vicem suppositi quod non est Persona, quia naturæ irrationalis est. Proprie autem non mittitur suppositum, sed Persona, quia in missione operatur res missa ut intelligens, et cognoscens. Unde licet in illo casu ille qui mittitur Persona sit, tamen quia non mittitur in quantum Personæ gerit vices, sed ut supplens vicem suppositi, et non Personæ, ideo illa proprie, et simpliciter non est missio, sed physica communicatio sui, seu novus modus existendi ex parte novi effectus physici, non ex parte modi existendi, quasi illi cohabitans et coexistens, etiam morali modo et convictu, qui est proprius personæ intelligentis: licet enim non consistat missio in morali egressione ab alio per imperium, vel suasionem, requirit tamen ut is qui mittitur modo intellectuali, et ut Persona, exeat, et procedat ad id ad quod mittitur. Vel secundo, dici potest quod illa assumptio naturæ inanimatæ esset missio, quia licet non sanctificet illam naturam formaliter in se, quia incapax est, est tamen de se illa actio ordinabilis ad sanctificandum alios, et hoc sufficit; sicut apparitio Spiritus sancti in creaturis irrationalibus, ut in columba, vel linguis igneis fuit missio, quia ordinabatur ad sanctificandum Apostolos, quanto magis si illas creaturas in unitatem Personæ assumeret. Et de facto Filius Dei in triduo mortis assumpsit

corpus mortuum, et fuit missio quia ordinabatur illa mors ad nostram sanctificationem, et nobis fuit salutaris.

XVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod de sacramento eucharistiæ possumus loqui, vel quoad sumptionem, vel quoad consecrationem quando ibi convertitur panis in corpus Christi. Si loquamur de sacramento quoad sumptionem, non est difficultas: sic enim mittitur Persona, non ad ipsum sacramentum (sicut nec ad alia quæ in ipso usu, et operatione perficiuntur, quia ibi non est gratia, sed instrumenta sunt gratiæ, ut ex D. Thoma supra diximus) sed ad personam sumentem eucharistiam, quia datur ei gratiæ augmentum, et consequenter mittuntur Personæ, sicut quodcumque datur gratia, aut augmentum gratiæ, licet speciali modo mittatur ibi Persona Filii, mediante carne sua sibi personaliter unita, et quæ realiter sub illis speciebus conjungitur corpori sumentis. Sed tamen tota hæc missio Personæ divinæ ad animam sumentis eucharistiam mediante gratia fit. Si autem loquamur de existentia corporis Christi in sacramento, per conversionem panis in ipsum, duplex solutio adhiberi potest.

Prima, quod illa non est missio specialis Personæ Filii ad sacramentum, sed est missio ipsius Christi ut homo, seu corporis ejus, ut ibi existat: aliud est enim missio ipsius Personæ, ut novo modo sit in aliquo, aliud est missio ipsius humanitatis, seu corporis Christi, quod tamquam quid creatum mittitur.

Secunda solutio est, quod dato quod illa conversio, et transubstantiatio sit missio Personæ, pertinet ad missionem visibilem reductive, quatenus corpus Christi, licet invisibili modo hic sit, tamen in se sensibile

est quoad substantiam, et hic visibilis redditur sub aliena specie; et sic est visibilis per aliud, non per se. Hæc secunda solutio ex eo stabilitur, quia ista conversio non est missio Personæ ad animam, sed ad existendum in sacramento idem corpus, quod existit in cælo; ergo si ipsa Persona hic mittitur ad corpus, ut sacramentatum, non est missio invisibilis, quæ est ad animam per gratiam, sed visibilis, quia est ad corpus, non suo modo proprio, sed modo alieno, id est, specie aliena manifestatum. Prima vero solutio explicatur sic, quod licet corpus Christi alio modo existat in hoc sacramento, quam in se; et sic mittatur ut sit ibi novo modo, non per motum localem, sed per conversionem panis in ipsum, tamen ipsa Persona divina non existit novo modo in ipso corpore, et humanitate assumpta, sed per eandem unionem, qua in incarnatione unita fuit Persona Verbi illi corpori, eadem et non alia, nec novo modo unitur, et communicatur illi corpori in sacramento, quia idem corpus est: non ergo de novo mittitur Persona divina ad illud corpus, seu naturam assumptam, licet ipsum corpus novo modo ponatur in sacramento; sicut ex eo quod corpus Christi in propria specie immutaretur, verbi gratia immutatione glorificationis in transfiguratione, vel resurrectione, aut immutatione passionis, non ex hoc fiebat nova missio Personæ ad ipsum, quia non ex hoc immutabatur modus, quo Persona divina illam naturam, et corpus assumpsit.

XVIII. Ad secundam confirmationem, respondetur negando minorem.

Ad probationem dicitur, quod non dicitur fieri missio Spiritus sancti ad illas creaturas visibiles, ut per eas demonstraretur gratia, sicut

per sacramenta, nec ut in eis esset gratia, sicut in anima ad quam fit missio invisibilis, sed ut significaretur ipsa Persona divina in illo signo visibilis, quod ad hoc formatum fuit tunc, non ut repræsentaret gratiam, sed ut significaret Personam Spiritus sancti, licet a tota Trinitate formata sit, imo et ministerio Angelorum, sed non ad repræsentandam totam Trinitatem, vel Angelum, sed Personam Spiritus sancti; sacramenta autem sunt signa visibilia, non repræsentativa divinæ Personæ, sed gratiæ, ad quam significandam imponuntur seu destinantur a Deo, et ideo visibiliter dicitur apparere, et mitti Spiritus sanctus in istis creaturis, et non in sacramentis. Quæ est solutio D. Thomæ in hac quæstione, art. vii ad ii et v. Addit sanctus doctor in i, dist. xvi, q. i, art. i ad i missionem visibilem Spiritus sancti fuisse in illam creaturam, non ut in id ad quod fit missio, sed ut ostendens solum missionem invisibilem factam in aliquem, et ideo non esse in illa creatura novo modo, nisi ut in signo, sed est novo modo in eo ad quem fit missio. Ubi ly solum non excludit a concomitantibus, scilicet quod repræsentetur ibi etiam Persona ipsa Spiritus sancti non ut assumens illam naturam, sicut in Christo, sed ut sanctificans alios, et dans eis gratiam missione invisibili.

XIX. Ad id autem quod dicitur Deum esse in illa creatura solum ut signatum in signo, quod non requirit realem missionem, sicut cum realiter unitur natura Personæ, respondetur quod licet illa missio non sit secundum tantam communicationem, sicut cum creatura assumitur in unitatem Personæ, est tamen sufficiens ad missionem, quia in illa creatura repræsentatur Spiritus sanctus non ut absens, et solum re-

ubi perfectissimo et consummato modo Deus unitur mentibus beatorum, eisque se manifestant Personæ; tum post beatitudinem adeptam penes varia charismata, et dona gratiæ, quibus non jam intensive crescere potest, sed quoad aliquam extensionem. Sumitur hæc resolutio ex D. Thoma citato articulo sexto ad tertium, ubi inquit: «Ad beatos facta est missio invisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum intensionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo, quod est usque ad diem iudicii; quod quidem argumentum attenditur secundum intensionem gratiæ ad plura se extendentis.» Ratio autem hujus est, quia in beatitudinis principio novo modo incipit Deus esse intra beatos, scilicet per unionem essentialis suæ in ratione speciei intelligibilis et manifestationem suæ divinitatis, qua tunc fruitur beatus: ergo concurrunt omnia quæ requiruntur ad missionem Personarum, si quidem Personæ novo modo manifestantur et communicantur creaturæ secundum sanctificationem ejus, et conversionem creaturæ ad Deum ut ad ultimum finem, quo fruitur tunc actualiter. Postmodum vero in progressu beatitudinis, accipit beatus aliquas novas revelationes extra Verbum, juxta dispensationem divinæ largitatis, et munificentiæ, in quibus etiam communicatur Deus novo modo secundum manifestationem aliquorum effectuum, quæ ad ipsum statum beatitudinis ordinantur, vel juxta illum debent cognosci a beato. Unde si mitti dicitur Persona divina, quando fit nova manifestatio veritatis pertinentis ad statum, et ordinem gratiæ, Spiritus sanctus missus est ad Apostolos, ut doceret eos omnem veritatem ut dicitur Joannis

xv et xvi, et similiter i Joan. ii dicitur: *Unctio docet vos de omnibus*, et ipse Filius dicit: *Se venisse in mundum ut testimonium perhibeat veritati*, Joan. xviii, et ad prophetas frequenter dicitur factum esse verbum Domini, factam esse manum Domini, etc. Si hoc ergo sufficit ut dicatur mitti Persona divina ad animam, quando sic proficit in agnitionem veritatis, supponendo gratiam sanctificantem in subjecto, quanto magis cum in statu beatitudinis, ubi est consummata gratia sanctitatis, plenissimæ et clarissimæ revelationes etiam extra Verbum fiunt, dicentur mitti de novo Personæ quæ talibus revelationibus manifestant ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, et docent tunc consummate omnem veritatem?

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Primo, arguitur contra ea quæ dicta sunt de missione visibili. Nam per missionem visibilem per se loquendo, in quantum visibilis non fit manifestatio divinæ Personæ neque conversio creaturæ rationalis in Deum ut in finem ultimum, sed si id habetur, est permissionem invisibilem gratiæ, quæ illi adjungitur: ergo per se, et ex propriis missio visibilis non est proprie missio. Consequentia probatur ex supra dictis a nobis ex D. Thoma in i, dist. xv, quæst. iv, art. i, quod missio attenditur in creatura rationali, non secundum processum creaturæ a Deo in genere causæ efficientis quoad est, sed secundum conversionem et regressum creaturæ rationalis in Deum ut in finem: si ergo hoc esset commune omni missioni, oportet quod inveniat in missione visibili, ut talis est, et ita si per se non invenitur, per se missio non est. Antecedens vero probatur,

quia bene potest fieri incarnatio sine manifestatione Personæ, ut si nemini Deus talem incarnationem revelet, et manifestet etiam ipsi animæ assumptæ: tunc enim mittitur Persona ad incarnandum, et non ad se manifestandum. Similiter potest fieri incarnatio sine ullo dono gratiæ collato naturæ assumptæ, ut si assumeret naturam irrationalem, aut etiam naturam rationalem sine donis gratiæ potest assumere, nec talem incarnationem ordinare ad hoc ut creaturæ rationales sanctificentur seu redimantur: ergo non est necesse quod missio fiat secundum sanctificationem, et conversionem hominis, in Deum.

XV. Confirmatur, quia ad eucharistiam facta consecratione fit missio Personæ Filii, si quidem ibi existit de novo corpus Christi ex vi conversionis, et Persona divina per concomitantiam: et tamen illa missio nec est visibilis, quia ibi Christus non ponitur visibiliter, sed modo invisibili; nec est invisibilis, quia non est secundum infusionem gratiæ in anima, quia ibi non est anima, sed solum substantia panis, quæ convertitur in corpus Christi, et accidentia ejus, quæ remanent. Et in sacramentis dicit D. Thomas non esse gratiam ut in subjecto, sed ut in instrumento: missio autem non fit nisi respectu termini in quo est gratia; unde ad sacramenta non fit missio Personæ divinæ, ut docet S. Thomas in hac quæstione, art. vi ad iv, sed eucharistia est sacramentum: ergo ad illam non fit missio gratiæ quæ est missio invisibilis.

XVI. Confirmatur secundo, quia missio Spiritus sancti etiam est visibilis, ut patet in die pentecostes cum apparuit in igneis linguis, et super Christum, cum apparuit in specie columbæ: sed in talibus creaturis non est facta aliqua manifes-

tatio vel peculiaris modus existendi ipsius Personæ: ergo id non requiritur ad missionem, vel illa non fuit vera missio Personæ. Minor probatur; nam in ipsis creaturis non fuit gratia sanctificans, quia erant creaturæ irrationales, nec erant capaces gratiæ: quod autem per eas significaretur gratia sanctificans, quæ daretur hominibus, non sufficit ad missionem visibilem: nam etiam hoc modo est gratia in sacramentis ut in signis practicis gratiæ, nec tamen ad sacramenta fit missio, ut jam diximus ex D. Thoma. Nec etiam fuit in prædictis creaturis unio aliqua, et communicatio Personæ divinæ, quia non assumuntur ad unitatem Personæ divinæ. Quod vero Deus sit in illis ut signum in suo signato, non petit missionem ipsiusmet Personæ realiter loquendo, quia signatum in signo non est realiter, sed intentionaliter et repræsentative, non fit autem realis missio si solum est repræsentativa, quia in repræsentatione non requiritur quod sit præsens persona repræsentata; præsertim si illæ creaturæ in quibus apparuit Spiritus sanctus non fuerunt veræ, sed imaginariæ.

Respondetur ad principale argumentum, quod missio visibilis etiam de se ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis, et manifestationem Personæ divinæ, licet per accidens possit actualiter non manifestare se ex parte intellectus creati: sufficit ad missionem quod ponat effectum de se manifestativum: hoc autem incarnatio habet, quod de se est manifestativa Personæ incarnatæ, et non deitatis solum ut una est. Similiter de se ordinatur ad sanctificandum creaturam, si sit capax sanctificationis, tum sanctificando naturam assumptam, etiam si omni dono accidentali careat per ipsam substantialem sanctitatem